

FORMULA MAGICA PROVENIENTE DA OXFORD¹

A.C.A.U., S. Officio, busta 17, “Acta S. Officii”,
processus n. 373, carte non numerate; il documento
ritrascritto è contenuto in una piccola pergamena inserita
nel fascicolo processuale dopo il foglio di guardia.

Rubrica huius Orationis est.

Quod in primis sciendum est quod ista Oratio nullam haberet virtutem si non observarentur infrascripte conditiones et potius non esset attentandum quam premittere ea que requiruntur et sunt ista.

Primo oportet confiteri de omnibus suis peccatis, in particulari et in universali per unam hebdomadam antequam incipias et singulis diebus illius hebdomade oportet, in aurora, comburere in angulo cubiculi tria grana masticis, flexis genibus et dicere tria pater noster.

Deinde oportet habere de ungubus unius galli veteris et aliquantulum myrrhe et aloe et cinnamomi et in sero antequam incipias dicere orationem facere suffumigationes in olla nova in honorem Genii sive Angeli et in eadem nocte ante matutinum debere dicere prefatam orationem intrepide triginta noctibus ad lumen unius candele prone et si aliquid de candela superesset post finitam orationem debet comburi et tunc poteris habere in camera quodcumque lumen volueris. Et finitis XXX triginta diebus in nocte, statim finita orationem, aparebit tibi in camera unus vir qui interrogabit te quare ipsum vocasti et quid vis ab eo et tu petes quocumque volueris pertinens ad perfectionem intellectus: aut ingenium, aut memoriam, scientiam legum, vel philosophise, vel in arte oratoria et statim respondebit benigne et dabit tibi bibere ad quandam ampullam vitream et tu bibe intrepide et audacter et quando ille discesserit dormias, si poteris, usque ad septem horas et habebis perfectionem et intelligentiam de qua homines mirabuntur. Et hoc expertus est frater Coradus Gurich de Picardia Arciepiscopus in Universitate Oxoniense quae est in Anglia, quando ille fuit baccalaureus et hoc maximum secretum in Italia, hoc est Romae, solo uni mihi amicorum optimo Pico Mirandulae communicavi, qui felix etcetera.

Oratio pro eliciendo Genio.

Lucidissime omnium Angelorum Gabriel qui summa et ima divino munitus presidio regis, qui per universum mundum peragrando omnium doctrinarum radios super humanorum intellectuum tenebras infundis, qui doctrinae claritatem largiris, te voco, te deprecor, te imploro, te per Sanctissimam Trinitatem, cui famularis, adiuro ut me devotum servum tuum. M. custodire et omni crimine mundum servare digneris nec non a malignis hostibus intactum defendere.

Anelphaset . † . Lucidissime Gabriel te veneror, te adoro, te diligo et humili corde postulo ut votis et iustissimis precibus meis adesse velis et voluntatis meae desiderium impleas. Carindaf . † . Lucidissime Gabriel qui caelum empireum et stellas tuo numine moderaris, qui Deo Trino et Uno, non multiplicato semper adsistis, qui compaginem polorum temperas, qui concavum orbis Mercurii scientiarum patrem, motu sempiterno revolubilem gubernas, qui velocissimum cardinem Septentrionis a lapsu retinens, ex profundissimis et altissimis plagis, ad me tuas aures intende.

Maschaiamas . † . Lucidissime Gabriel omnium coelestium et terrestrium et infernorum, Clementissime Rex mundi, qui omnes creaturarum ideas in speculo tuae intelligentiae claudis, mihi devoto famulo tuo. M. ad scientiam anhelanti, tuae potentiae et misericordiae circulum impertire digneris. Scralbamothe . † . Lucidissime Gabriel tibi omnem vitam meam dedico, tibi horum

ieiuniorum abstinentiam sacrificio, tibi me totum intus et extra devoveo, tibi cordis mei fibras et sinistri lateris arteriam de dedo. Sfraghichian . † . Lucidissime, sapientissime, benignissime Gabriel te rogo ut perfectis XXX vigiliis, me fovere, protegere ac visitare digneris, et oleum sapientiae tecum afferre quo tres illos viros monstruosos ungere solebas videlicet A.C. et H. ut me quoque famulum tuum imbuere possis et sub disciplina quam tibi revelavero nutriri facias. Fiat Halyadan . † . fiat Euapacor . † . fiat Jachus. Verba mea auribus percipe Domine Gabriel, ratam facias voluntatem meam, amen.

¹ L. DE BIASIO, 1000 processi dell'Inquisizione in Friuli. Udine 1985.